

12, & 16. 12 Iurant per creaturas veluti per ficum, & ficetum, item per oliuetum, cum Priscillianistis. 13 Bella pro sola religionis causa, & vt inuiti homines cogantur suscipere ipsorum dogma, geri oportere docent. Azoa. 6. 7. 18, & 19. 14 Matrimonij sanctam institutionem tollunt, profanant, & polluunt: pluresque cuique vxores habere concedunt. Diuortia extra causas verbo Dei expressas fieri concedunt. Azoa. 8, & 9. 15 Operum merita inducunt, per quæ se saluos fore sperant, cum Pelagianis. Azoa. 18, & 41. Itaque varias ceremonias habent, & diuersas vitæ rationes, velut monachifimos quosdam, instituunt, & obseruant. 16 Deficientibus à fide ipsorum veniam cum Nouatianis in perpetuum denegant. 17 Peccata alia mortalia, alia venialia constituunt. Azoa. 10. 18 Orandum omnino versus Orientem docent, vt sit Deo accepta oratio, & certum precationum numerum quoque die vti necessarium præscribunt. Azoa. 10. & 17. & 19. Neque pro incredulis orandum esse volunt. 19 Omnia Sacramenta à Christo instituta tollunt. Denique infinitum esset reliquos errores persequi, contra quos Iohannes Cantacuzenus Græcè nomine Achæmenidis Persæ, ad fidem conuersi, scripsit, conuertit autem Gualterus D. eximius, & Pius secundus, & Richardus quidam tempore Bernardi, & D. Philippus Melanchthon.

CAP. XCVII.

Quanta sit hodie in Oriente Ecclesiæ vastitas, & quantis erroribus labefactentur, atque laborent ij qui in ea mundi plaga Christianum nomen profitentur.

ii. j.